DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE.

AUCTORE JOANNE WYLIE.

Inflammatio jecinoris, quam potissimum argumento, de quo scriberem, selegi, et quae apud aestuosas terras corpora humana praesertim torquet, duplex esse habetur; nimirum, vel acuta, vel longa, id est chronica. Illam, *Hepatitidem, Acutam*, hanc *Chronicam*, nominavit Cullenus. De *Acuta* sola disputare mihi est in animo: quam ille vir prae-

[Edinburgh: C. Stewart. 1811.]

clarus hisce verbis definivit. "Pyrexia; "hypochondrii dextri tensio et dolor, saepe "pungens pleuritici instar, saepius obtusus; "dolor ad claviculam et summum humeri "dextri; decubitus in sinistrum latus diffi-"cilis; dyspnoea; tussis sicca; vomitus; "singultus."

DE SIGNIS.

Solita *Pyrexiae* indicia hanc inflammationem antecedere solent; nempe, rigores et ardores vicissim adorientes, dolor capitis, languor, cibi fastidium. Haec graviora aut leviora subsunt; interdum tantula, ut fere non a medico sentiantur. Dein torquere coepit dolor plerumque acutus, circa *Hypochondrium* dextrum, non sine gravitatis, plenitudinisque sensu. Dolor, parte pressa, ingra-

vescit. Aeger non sine aucto cruciatu in latus sinistrum cubat, supinus se melius habens; potiusve paulo ad dextrum latus inclinatior, capite simul elatiore. Alvus fere tardior est, et quod descendit, est subalbidum, durum et parcum; alias, alvus fluit, biliosa. Urina fere rufa et parca excernitur. Summa cutis praeter modum aret et incalescit; lingua sorde alba aut flava obducitur. Aeger sitit, et saporem amarum sentit. Alia porro signa adesse possunt, prout haec aut illa pars jecinoris inflammetur.

Si gibba pars ejus laborat, ipsum aliquantum prominere percipitur, et acutius dolet; eoque magis, si manu premitur. Dolor ad summum humeri dextri, imo vero sinistri aliquando tendit. Ille dolor, et etiam partis affectae, maxime omnium signorum hunc morbum apud Britannos denunciat; qui tamen

nequaquam semper Indis, aut Britannis hinc ad Indiam profectis, laborantibus contingit. Si ea pars jecinoris inflammatur, quae septo transverso adhaerescit, signa, *pleuritidis* propria multum simulant: qualia, spirandi difficultas, dolor spirando auctus, tussis assidua, sine sputo; interdum vero paululum pituitae extussitur. Arteriae valide et crebrius moventur. Aeger anxius singultit. Quod si ima vel concava pars jecinoris laborat, mala jam dicta leviora urgent. Dolor lateris obtusus est, et altiorem sedem habere videtur. Jecur vix prominere sentitur. Ventriculus multo irritabilior evadit. Aeger cibos fastidit, et sumptos evomit; interdum, imo saepius aliquid biliosi. Vultus et tota cutis flavent; morbus regius scilicet invadit. Neque vero id perpetuum esse videtur.

DE FINIBUS.

Inflammatio Jecinoris aut *resolutione*, aut *suppuratione*, aut *scirrho*, aut *gangraena* finiri potest; de quorum singulis brevi sermone disserendum.

Resolutio. Quaecunque pars corporis inflammatur, ut inflammatio resolvatur, praecipue semper est optandum. Haec inflammatio diutius aut brevius perstat, nulla certa lege: saepius autem quatuor aut quinque diebus ad resolutionem pervenire dicitur. Si igitur signa mitiora fuerint, et curatio idonea, hanc intra hebdomadam expectare licet. Interdum, natura sola auxiliante, hic morbus resolvi fertur, per sanguinis e naribus aut e venis imi intestini cursum, aut per sudorem, aut copiam amplam urinae crassae. Aliquan-

do resolutio insigni copia pituitae, in animae fistulas profusa, stipatur. Optimum vero esse habetur, si multum fellis utraque via ejicitur.

Suppuratio. Saepissime huc tendit propositus morbus, praecipueque in India et aliis terris aestuosis. Ad suppurationem interdum pede celerrimo currit haec inflammatio, imo etiamsi parum acuta fuerit, et initio idoneis auxiliis sedata fuerit. Raro tamen ante diem sextum aut septimum jecur suppurat. Suppuratio metuenda et expectanda est, si postea saevire non desinit inflammatio, quam resolvi saepius consuevit. Eandem vero subesse testantur dolor levior, sensus ponderis; rigores et horrores, febris *hectica*, motus arteriarum, exilior et celerior. Abscessus jecinoris fere tunica cingitur, e fibrina effusa confecta. Hoc abscessu dirupto, pus ad alias atque alias

partes fluere potest: modo ad duodenum tendit, jecinore et fistulis bilis cohaerentibus. Alias in arcum *coli* effunditur, simili ratione, si margo imus jecinoris suppuraverit, et intestino adhaeserit. Alias abscessus extrorsum fertur et acuitur; quando incidendo, pus summovetur. Si vero abscessus est, ubi jecur cum septo transverso committitur, in pectus pus transire potest; imo, si pulmo ibi pleurae adhaereat, in ipsas animae fistulas penetrabit, extussiendum. Nonnunquam pus in abdomen profunditur. Aliquando jecur fere totum exulceratur, et quasi in saniem putrem vertitur.

Scirrhus. Hic non raro sequitur, et mali plurimum gignit. Indicatur siti non restinguenda, inquietudine, sensu gravitatis circa jecur, ejusdem duritie facile plerumque sentienda. Quinetiam, AQUA INTERCUS non medicabilis et *icterus* fere sequuntur.

Gangraena. Haec rarius supervenit, et solitis gangraenae signis indicatur.

QUAE CADAVERE INCISO DEPREHENDUNTUR.

Saepissime jecur ex inflammatione partibus vicinis adhaerescere observatur; et plerumque ejus anterior pars. Interdum membrana extera jecinoris, si inflammata fuerit, crassior fit quam ex consuetudine, et vasa ejus praeter solitum rubent. Jecur ipsum paulo infra membranam easdem fere praegressae inflammationis notas ostendit. Imo totum, si morbus loca aestuosa incolentibus contingit, similiter se habet. Saepe indurescit, vel totum, vel aliquae ejus partes; quod si ita sit, pallidius simul esse observatur, et plerumque amplius, sed aliquando minus. Gregorius noster

inter praelegendum memorare solet, jecur semel eo usque tumuisse, ut fere totum ventrem occuparet; nec vero multum molestiae inde oriebatur.

Tubercula omnigena, *hydatides*, &c. haud raro reperiuntur. Abscessus etiam pluribus libris puris referti inventi sunt; imo totum jecur aliquando, quasi saccus amplus, existit, pure impletus; quod, siquando ad pulmonem tendit, hiatu minimo, eo saepe pervenit.

DE RATIONE SIGNORUM.

Hypochondrii dextri tensio et dolor. Huic parti dolor incumbit ob jecur ibi potissimum situm. Dolor autem circa ventriculum aliquando torquet, si *lobus* sinister jecoris inflammatur. Amplificatio vasorum, efficiendo ut

nervi et fibrae motrices intendantur, dolorem et tensionem in omni fere inflammatione infert.

Dolor ad claviculam et summum humeri dextri tendens. Hic praecipue saevit, si pars inflammatur septo transverso proxima; quo irritato, necesse est ut nervus *phrenicus* et *plexus axillaris*, fonte scilicet fere eodem orti, irritentur; ideoque summa pars humeri dextri doleat.

Decubitus in latus sinistrum difficilis. Aeger difficulter in sanam partem cubat, quia membranae inflammatae, quae jecur cum vicinis partibus committunt, inde distenduntur.

Spirandi difficultas. Non facile spirat aeger, quia descensus septi transversi facit ut

jecur prematur: porro quia jecur saepe tumidum illius descensui obstat.

Tussis. Tussis referenda est partim ad consensum eum insignem, quo inter se sociantur septum transversum, et membrana fistularum animae; quo fit ut, illo irritato, haec sit irritabilior; partim vero ad hunc membranam sicciorem, et forsan quodammodo inflammatam.

Singultus Ad septum transversum aliqua ex parte inflammatum jure referri potest.

Vomitus. Necesse est ut, ima jecinoris parte inflammata, vomitus urgeat, ventriculo scilicet, ob sedem ejus propriam, mali participe facto.

Alvus saepe tarda, flava cutis. Si pars inferior jecinoris afficitur, eadem tumida efficiet ut fistulae bilis opprimantur; ideoque ut alvus bilis expers torpeat; et ut, felle resorpto, cutis flaveat.

DIAGNOSIS.

Quoniam naturam veram morborum ignorare saepe ad curationem malam imo occisuram ducit, permagni refert medicorum singula indicia diligenter perscrutari, ne decipiantur, aut, hoc pro illo habito morbo, aegrotantem in vitae discrimen ferant. Felix est tamen hujusmodi errorem, etiamsi medicus in eum incidat, interdum minus periculi habere, ut in ipso proposito morbo; quem qui maxime referunt, eandem fere medendi rationem, quam ille ipse, desiderant. Hi autem sunt

Pneumonia, *Gastritis*, *Enteritis*, *Splenitis*, *Rheumatismus* musculos jecinori propinquos, et *Spasmus* fistulas bilis adoriens. De quorum singulis pauca disserere volo.

Pneumonia. Hepatitis a pulmonis inflammatione dignoscitur, eo quod huic quam illi dolor multo acutior esse consuevit: quod huic non pressu intenditur, et ex altero alterum latus interdum petit: illi vero, digito aut manu imposito increscit, dextroque lateri sub costis spuriis incumbit. Huic quam illi saeviores urgent tussis et spirandi difficultas; et hac tortus facilius in sanum, illa vero in affectum latus cubat. Huc porro accedit dolorem istum proprium, ad summum humeri dextri ascendentem, qui semper fere illi subest, huic fere deesse. Denique *pneumonia* occupatus vix aut ne vix quidem singultit, aut vultum oculosque flavet. Non vero inficias est eun-

dum dijudicare difficillimum esse, quoties gibba pars jecoris sola inflammatur; cujus inflammatae indicia plurimum imae partis dextri pulmonis ita se habentis propria simulant.

Gastritis. Ventriculo inflammato, semper accedunt summa anxietas, dolor crucians et ardoris sensus circa hoc viscus, maximeque paulo infra cartilaginem *ensiformem.* Vires etiam multo magis prosternuntur ventriculo quam jecore inflammato: omnia, simul atque devorantur, statim evomuntur, si quis *gastritide* occupatur; at fere nunquam dolet summum humeri dextri. Quinetiam inflammatione ventriculi cruciatus, si cubat supinus, dolorem longe acerbiorem sentit, propter jecur hoc viscus opprimens et exasperans; quod si corpus prorsum inclinatur, dolor mitescit.

Enteritis. Hic vero dolor potissimum circa umbilicum torquet; ventriculi et intestini munera magis turbantur, quam in morbo proposito: desunt complura e signis jam dictis, quae luculentissime jecoris inflammationem denunciant; et subest gravissima ista virium resolutio, quam *gastritidem* comitari mox memoravimus.

Splenitis. Vix opus est longo sermone, quo rite dijudicemus. Hic enim sinistrum, non dextrum latus dolet: non tussis, non vomitus, non humeri dextri dolor, adsunt.

Rheumatismus. Rheumatismo laborent musculi vicini, an jecur inflammetur, comperiri potest, eo quod illius proprius est dolor non fixus, sed musculorum fibras permeans, et gravior aut mitior factus pro situ corporis;

et simul absunt tussis, spirandi difficultas et vomitus.

Spasmus fistularum bilis. Si cui ille *spasmus* contingit, quam minimum doloris patitur, corpore prorsum inclinato, vel flexo ; sed Hepatitide tentatus dolore maxime fit vacuus, corpore, quantum fieri potest, quiescente nec omnino flexo. *Spasmus* dolore vicissim abeunte et redeunte, et arteriis vix concitatis indicatur ; qui aliter se habent, ullo viscere inflammato.

Quo comperiamus membrana an jecur ipsum inflammetur, omnes notas a principio ipso sedulo inquirere oportet. Si vomitus biliosus aut alvus biliosa torserint, ipsum affici jure suspicamur. Si vero haec vix observanda sunt, si simul aeger queritur humeri dolorem, si morbus situ corporis mutato ingra-

vescit, verisimile est membranas et ligamenta sola male se habere.

CAUSAE REMOTAE.

Has in duo genera medici diducere solent: quorum unum eas amplectitur, quae corpora humana ad morbos propensa faciunt, nec vero ipsos per se gignunt: alterum vero, eas, quae, proclivitate praesente, admotae ipsos morbos inferunt. Illae multo saepius intus corpori insunt; hae autem extrinsecae esse consuerunt. Interdum equidem noxae eaedem utriusque generis esse videntur, adeo ut haec distributio difficilis et aliena sit, ut in hoc ipso morbo. Calor scilicet, vel aestus haud dubie simul proclivitatem et malum ipsum creare valet.

Inter causas proclivitatis genetrices, aetatis rationem recenseri oportet. Nemo, qui jam pubertatem transiluerit, hoc morbo immunis existit; pauci impuberes corripiuntur. Girdlestone memoravit se ne unquam quidem aliquem nondum aetate adulta *Hepatitide* occupatum cognovisse. Quibus corpora vegeta sunt, robusta, sanguine plena, hi frequentissime omnium proposito morbo obnoxii sunt. At vero, exacta jam pubertate, corpora fere ita se habere coepisse consuerunt; unde constat, quare juniores rarius laborant. Foeminae etiam rarius quam mares *Hepatitide* aegrotant; idque partim, e causis posthac memorandis.

Causae vero, quae admotae hunc morbum accendere possunt, secuturae sunt. Terrae sole ardente ustae semper *Hepaticis* abundant, maximeque India Orientalis; aestus

profecto cum propensionem facessere, tum etiam ipsum morbum excitare comperitur. Non vero Indiae omnes terrae pariter ei inferendo habiles esse videntur; sed aliae prae aliis, etsi omnes aestu fere aequali torrentur.

Coelum mitius aut frigidum ardente subito mutatum plurimum ad morbum, quem prosequor, gignendum valet; hinc Britanni, qui suos penates India mutarunt, longe quam ipsi Indi, Hepatitidi opportuniores existunt; necesse est enim ut insueti ardentis solis vehementius, quam sueti, inde patiantur. Ardores aestivi ipsius Britanniae subinde jecur inflammant. Ubicunque terrarum ardores meridiani intentiores sunt, nocturni rores et frigora summa esse consuerunt: quae subito illum aestum excipientia quam maxime, ut jecur incitetur et inflammetur, efficiunt. Porro,

aqua frigida, corpore jam praeter modum calefacto, epota hunc morbum genuit; halitu nimirum per cutem ex improviso represso; nec raro inde pulmo et jecur simul inflammatione corripiuntur. Nullae vero noxae potius quam ebrietas, satietas, et intemperantia omnigena Hepatitidem facessunt. Britanni sane saepius inde quam aliunde in eam incidunt; nec minus inde, quam ex aestu, nostrates qui ad Indiam migrant. Lugendum est equidem hos perperam judicantes istam vivendi rationem morbo proposito praecavendo accommodatissimam, eo liberius se luxui et poculis dedere. Vix dubitandum est fel solito acrius jecur inflammare posse. Quinetiam, morbi praegressi, nimirum *scirrhus;* calculi jecori inhaerentes, aut bilis fistulis infixi, inflammationes partium vicinarum, et febres intermittentes, hunc morbum genuerunt. Motus animi sedantes, et caput vulne-

ratum ab auctoribus optimis hanc inflammationem arcessivisse feruntur; quod efficere videntur, propter consensum illum insignem, quo inter se sociantur cerebrum et viscera, quae cibis concoquendis dicuntur. *Hypochondrium* dextrum ictu contusum et violatum, et motus vehementior corporis, sive currendo, sive ambulando aut equitando, eodem spectant. Aquae stagnorum corruptae epotae, testante Cleghorn, et jecoris et lienis mala intulerunt. Argentum vivum ultra modum aut intempestive assumptum, et satietas subita post longam inediam, causae excitantes recensenda sunt. Quidam, praesertim Chisholm, hunc morbum pestilentem voluerunt; recte an secus ignoro. Nec desunt aliae causae medicorum scriptis: quae tamen quia dubiae esse videntur, non operae pretium duxi sermonem de hac propositi parte producere.

PROGNOSIS.

Quo clare hujus mali eventum futurum praesagire possit medicus, oportet accurate haec cognoverit; quae sit aegrotanti corporis indoles vel proprietas, quali valetudine ante usus sit, quam hoc morbo aegrotaverit, quamdiu morbus ipse perstiterit; et ejus signa leviora an acerbiora fuerint. Notae omnes mitiores, quaedam exinanitiones supervenientes, spem boni finis incutere debent.

Si febris vehementior subest, si pars acute dolet, si spiritus difficilior est, si arteriae exiliter et crebro moventur, si fel evomitur, alvus fluit, si aeger simul delirat, et graviter singultit, fatum expectare licet.

Si morbus ad suppurationem veniat, spes aut metus augurandus, prout haec aut illa pars suppuret. Si abscessus ad partem gibbam spectaret, nil metuendum. Si quibus e signis judicare liceat, pus in ventriculum aut intestinum effundendum esse, quantumcunque aeger emacrescat et infirmetur, nequaquam in praecipiti versatur; imo rite curatus saepius sanitatem recipiet. Pus autem necare potest, aut strangulando, aut lenta tabe et febre *hectica* hominem consumendo; imo quidam scribunt ne unicum quidem, ea febre tandem confirmata, unquam convaluisse.

Sunt tamen, qui meminerunt bonam valetudinem, etiam post sputum purulentum, interdum rediisse; cujus rei exemplum luculentum edidit Monroius Tertius. Si pus in ventrem fluit, semper mortiferum est. Partes

cohaerentes impediunt quo minus pus late pateat; ideoque bono sunt indicio existimandae, quoties pars suppurat.

Si tandem compertum est GANGRAENAM subesse, quae profecto rarius accedit, mors cita expectanda est.

MEDENDI RATIO.

Haec inflammatio initio saltem eandem fere medendi rationem desiderat, quam aliae visceribus incumbentes. Maxime cordis et arteriarum motum sedare oportebit; quod optime detractione sanguinis e parte affecta aut brachio efficitur: ad eundem finem cubiculum, quo utitur aeger, aëris perflatum habere debet: omnia, quae stimulare aut ca-

lefacere possint, fugienda sunt; et quae refrigerent et sedent, sumenda.

Sanguinis Detractio. Venam feriendo optime et citissime incitatio magna devincitur: inter principia igitur hoc fieri oportet; quo tempore scilicet, sperare licet inflammationem resolvi posse, eo solum juvabit hoc auxilium. Parcius eliciendus est sanguis, si terras aestuosas incolentibus hic morbus accedit, qui debiliores minus sanguinem mitti tolerant.

Etiam hi vero, morbo jam ineunte, paulum sanguinis bene detrahi patiuntur. Quoties oportet hoc remedio uti in India orientali, id cognoscitur febre ardente, motu arteriarum concitato, dolore acuto. Plaga ampliore vena icenda est, quo multum sanguinis brevi profluat. Si debilitas venam brachii incidi

vetat, per hirudines aut cucurbitulas sanguis e parte ipsa detrahendus.

Exulcerando partem ope emplastri *meloës vesicatorii*, interdum morbus omnino fugatur, aut certe dolor lateris et humeri, et spirandi difficultas multum levantur.

Juvat etiam aqua tepida, &c. partem affectam fovere; et alvum per liquores emollientes ducere.

Alvi Purgatio. Nec simul non alvus purganda; sales medii id optime efficiunt. Si torpeat alvus, utendum submuriate hydrargyri, convolvula jalapa, &c.

Quidam *vomitum* excitari jubent ipso initio. At valde suspicor inde fellis plus justo

secretum iri, quod plurimum nocet in hoc morbo.

Praeparata ex *antimonio*, et potus tepidi diluti ea lege data, ut sudorem lenem evocent, auxiliabuntur.

Inflammatione jam sedata, *hydrargyro* est utendum, ne morbus inveteratus, ad *scirrhum* tendat. Huic remedio nunc fere soli confiditur, adeo ut non minus in jecoris inflammationem, quam in veneris morbum prodesse habeatur. Maxime convenit submurias hydrargyri cum opio. Quam celerrime oportet suas proprias vires ostendat in corpore. Unguento hydrargyri communi simul utendum. At pessima mala hoc remedium male et parum perite datum secuta sunt. Inter haec igitur, vinum, et cibus nutriendo accommodatior dari debent.

Acidum Nitricum etiam praeceptum est et cum fructu, sed praesertim in *Hepatitidem Chronicam.*

Si tandem abscessus fiat, etiamsi potentissimis auxiliis huic fini obstiterimus, pus, si fieri potest, arte effundendum est. Si igitur pars prominet et fluctuat, scalpello incidenda est; vel melius ferramento fistula cincto (anglice, *Canula and Trocar*) sic enim pus tardius profluit, id quod semper bonum est; quoties exulcerationes hujusmodi adsunt. Si pus intus vertitur, in intestina vel pulmonem, oportet ejus exitui faveamus liquoribus dilutis libere datis, et vires simul sustineamus. Si in pulmones fluit, ea concedenda, quae tussim leniant. Si pus in abdomen profluat, nonne utile foret, idem ope scalpelli tollere, ut in hydrope, et simul ope potus diluti efficere ut humor e jecore profusus minus acer sit.

Tandem periculo sublato, vino, praeparatis ex ferro, plantis amaris, victu nutriente utendum. Ne morbus recidat, oportet homo Indiam Europa mutaret, et omnes noxas excitantes, quantum id fieri potest, evitaret.

FINIS.

Excudebat C. Stewart.